

IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA TERTIA
MISCELLANEA.



ANTVERPIÆ,
Ex OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
c I o. I o c. v.

Cum Privilegiis Cesareo & duorum Regum.

AMPL^{MO} ET NOBIL^{MO} DOMINO,
D. I O A N N I
DRENCKW AIRTO
EQVITI, TOPARCHÆ DORMALIÆ,
supremo Belgicæ Thesaurario.



ENTVRIAM hanc MISCEL-
LANEAM ad te mitto , non
munus , sed particulam lucen-
di æris , quod varium & mul-
tiplex fatemur debere . De-
cem anni sunt , cùm me beneficiis alijs su-
peralia cumulas : vt non dicam relationem ,
sed actionem gratiarum studio videaris præ-
uenire . Quid autem vel nunc ref ero ?
EPISTOLAS , plerasque ipsas ad te missas :
& veleo nomine tibi inscribendas . Sed EPIS-
TOLAS cùm dico , quid nisi rem leuem &
subitaneam , & intra verba consistentein di-

I
IVSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA TERTIA
MISCELLANEA.

EPISTOLA I.

I. LIPSIUS IOANNI MORETO, *Typographo S. D.*



ERIÒ & vno verbo, mi Morete, semel hoc
crede. quidquid à vobis ad me venit, gra-
tum est, iucundum est: & meritò istæ tuæ
litteræ, sincerissimi affectus in me plenæ.
Nolo eū testēris: scio. nec pariter ullus vn-
quam Plantinianus ramus erit, quem ego
non amem, & cui non benefactum velim
ex iino isto fonte. Ostendam hoc semper,
quamdiu melior ille spiritus diriget hoc corpus. Sed hæc non
necessaria. precibus tuis respondebo, quas velut publico nomi-
ne ad me defers. Thraseam tuuī, inquis, flagitant omnes. De
multis, mi Morete, credo: multos etiam aliter esse censeo, & qui-
bus hæc nostra nec grata valdè nec magna. Quæ iudicia ut nec
magni ipse facio, nec planè tamen sperno: ita hoc facile apud
me impetrant, ut differam opus, si non ut omittam. Philosophia
ista non pro omnium gustu: & calumniam vitare fortasse inci-
lius, quam deprecari. Munus aumarij, in quo chartæ & epi-
stolæ nostræ recondantur, an non gratuum sit te mittente? grati-
simuī: sed & re atque usu opportunum, & haec tenus desidera-
bam. In oculis aut manibus cottidie erit: & quod sequitur, eius
auctor. Ergo gratia tibi esto & dicti, & reposita: tu aut tui apud
me inuenite, & amandi semper amate. Lugd. Bat. v. Id. De-
cemb. 15. LXXXIIX.